

444
A D!
DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS.
DE

**SIGNIS IMMI-
NENTIUM MORBO-
RUM, AD PRÆCAUTIO-
NEM NECESSARIIS:**

QVAM
GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ PERMISSU
SUB PRÆSIDIO
MAGNIFICI ACADEMIÆ RECTORIS,
VIRI PRÆNOBILISSIMI AMPLISSIMI EXPERIENTSSIMI
ET EXCELLENTISSIMI,

**DN. JOH. ERNESTI
SCHAPERI,**

MED. D. EJUSQ; P. P. DUC. ORD. FACULT. SENIORIS
h. t. DECANI SERENISS. ET POTENTISS. DUCIS REGENTIS
MECKLENBURGICI ARCHIATRI CELEBERRIMI

FAUTORIS AC PATRONI SUI COLENDISSIMI

Pro Immunitatibus ac Honoribus in Arte Medicâ ritè consequendis
IN AUDITORIO MAJORI, *ad diem 27. Aug. A. 1705.*

Publicæ Eruditorum examini subjicit
AUTOR ET RESPONDENS

WILHELM. DAVID. Habermann/

ROSTOCHL, Typis JOH. WEPPLINGII, SERENISS. PRINC.
& UNIVERS. Typogr.

ol. gen.

60,8

Patholog. 355

DEO
ET

PROXIMO
SACRUM!



Mors demum illa desiderabilis est, quæ placidè ac lentè, i e, sine magna Spirituū lucta, contingit: qualem sibi, ceu felicitatis humanæ partem non postremam, tantopere optare solebat Cæsar Augustus. Hanc Euthanasiam medicâ arte procurare, magnæ difficultatis est, & inter plura alia medicinæ desiderata à *Welshio ac Verulamio* reponitur. Ipsa autem natura (quæ, effatu *Helmontii* Sapientior est omni Medico) quod vinculum vitæ nostræ primitus nexuit, illud & sensim ac lenissime solvere novit, mortales nimirum (nisi ipsorum imprudentia obstaret) ad extremum senium deducendo; quod tamen paucissimi attingunt, quia de Sanitate conservanda minus solliciti sunt: cujus cårdo quidem in diætâ rite instituta unice verti videtur. Diætæ vero regulas cum scribere facilius sit, quam servare in omni ætate, loco, vitæ genere; inevitabiles ergo errores arte, hoc est medicaminibus selectis, tempore justo & juxta debitas indicationes, diætæ quantum possibile junctis, sunt corrigendi: id quod sine Signis fieri nequit. De hisce ergo imminentium morborum signis quædam auxiliante DEO amicæ idsqvisitioni in subseq. subjiciemus.

CAP. I.

De Signis desumendis ex hominis nativitate.

§. I.

Parentes debiles & morbofi, tales quoque generant liberos. Imò parentes, morborum semina in se continentes, talia etiam infantibus generatione communicant, *vid. Salmuth. cent. 2. obs. 80. & Ettmull. colleg. Pract. de Apoplex.* In.

Infirmæ vitæ sunt præterea nati à Senibus, *vid. Nicol. Massa ep. 19. Tom. 2. se enim partum Venetiis conspexisse ait, post 15. mensium in utero moram, oculis manibusque privatum, natum ex matre sexagenariâ, patre 70nario.*

§. 2. Morbi tales hæreditarii, in filiis interdum non apparent, ast in nepotibus iterum emergunt. *vid. Edm. de Meara de Morb. hæredit. & Petr. Borell. obs. 7. Cent. I. Indicium hoc est, Morborum hæreditariorum (contumacissimorum fanè) fermenta posse quiescere vel supprimi ad tempus, partim naturæ bonitate partim arte & hoc modo præcaveri: id quod de Podagra hæreditaria confirmat Meyerne Tract. de Podagra. Morton de Phthisi (in Phthisiologiâ) & Ettmullero teste (Colleg. Pract. cap. de Epilepsiâ) D. Michaëlis Spiritu Sanguinis humani hæditarios Epilepticos curavit.*

§. 3. Nonnunquam tamen Senes & Valetudinarii progenerant firmos ac vitales. In coitûs enim actu Spiritus concentrantur, junctis viribus tum semina morborum (semini inexistentia) extinguunt; vel semen alterius parentis, hujus semen corrigit. *Novit enim Valescus de Taranta in Phil. Chirur. c. 20. filiam satis decoram ex Muliere sana, ex Patre vero Elephantico natam.*

§. 4. Matrum præterea morbi, quibus durante graviditatione afflictæ sunt, sæpissimè in infantes derivantur *vid. Fernel. Pathol. cap. XI. Lib. 7. de Morb. differ. qui plura ibidem exempla refert. Rarum tamen est quod Bierling ex Hollerio refert in adversar. curios. Cent. I. obs. 92. Puellam 12. annorum, cum ob intempestivam curiositatem continuò circa infantulum versaretur, & caput ejus tractaret, post aliquot annos matrimonio junctam, infantem simili Hydrocephalo laborantem esse enixam.*

§. 5.

§. 5. Partus numerosi (gemellis exceptis) raro diu superstites observati sunt. *Ephem. Cur. Germ. An. 2. D. 2. an. 4. & A. 3. obs. 2. Th. Barthol. Hist. anat. 83. cent. 4.*

§. 6. Partu præcociori editi, cum signis imperfectionis notabilibus e. g. hiantibus nimium capitis commissuris, aurium meatibus oppilatis, digitis conjunctis, podice clauso arctius vel nimis hiantes, summe imbecilles, omnis sensus motusque atque respirationis per plura momenta expertes, non nisi frictionibus, fomentationibus Spirituosis, nutricis halitu insufflato, excitandi, urinam vel alvi fæces diu nimis retinentes, si ejusmodi imperfectiones nono Mense partim adjumento artis vel naturæ non cessant, tales non nisi magna sollicitudine adhibita adolefcunt: imò Bohnius *de offic. medic.* notat per experientiam rariustantum septimestres & octimestres deprehendi vitales. Stimulo enim violentiori (unde partus præcocior) forsan etiam sunt læsi & aëris injuriis perferendis adhuc impares sunt. Contra diu nimis retentus foetus (nam ad 16. imò 19. Mensera vivi aliquando in utero supertuere *vid. Blegnii; Zodiac. Gallic. Ann. I. Januar.*) præsertim si accedat ut fieri sæpe solet ejusdem eximia magnitudo. *vid. exempl. ap. Plater. obs. Lib. I. p. 229. periclitatur in partu, vid. Bartholin. de insolitis partûs human. viis. p. 8. 9. seq.*

CAP. II.

Signa ex Conformatione Corporis.

§. 1. Conformatio corporis insolita raro diuturnam promittit sanitatem: hinc Monstra brevi vivunt ac infirmiter, ut observationes testantur.

§. 2. Obesum nimis corpus transpirationem non obtinet sufficientem, hinc in sanguine eorum per Venæse-

A 3

ctio-

Etionem extracto, major justo leri quantitas reperitur ut plurimum. *vid. Joh. Christ. Langii Semeiotic.* pinguedo vasa comprimunt, & sanguis pinguior facile congelatur: præsertim periclitantur qui non sunt carnosissimi, & tales jam evadunt in juventute. *Verulam. hist. vit. & mort.* Apoplexiæ. Polypis. Catarrho suffocativo, Hydropi præsertim subjecti sunt. In ætate autem proveciori quando tales, (non subito) evadunt, mitius est sentiendum, vasa enim justam jam amplitudinem & firmitatem sunt adeptæ.

Corpulenti & obesi infantes quot morbis obnoxii sint *vid. Harris de Morb. Infant:* dentitionis præsertim tempore, circa quod plurimi infantum morbi emergere solent *vid. Riedlin. lin. med. an. l.* periclitantur: si scilicet in dentitione pingues permanent, & gravi somno premuntur, periculum est ne convulsiones patiantur. *Ephem. G. An. 3. D. 2. Obs. 28.* Lac pingue, vetus & copiosum denegandum, excretoria servanda aperta, & gingivæ (statim à nativitate) crebrò fricandæ.

Ad præcautionem nimie corpulentie, iuxta servetur diæta, scilicet motu corporis seu labore convenienti, cibi & præsertim panis quantitas sensim imminuatur, vinum seponatur, cerevisia sit tenuis seu aquosa & urinam pellens, carnes præsertim ferarum concedi possunt pro moderato, olera vero in frequenti sint usu, salinis & amaricantibus bilis acuenda e. g. aloeticis, myrrha &c. calidiores eligantur regiones, tropicis propinquiores.

§. 3. Macies tutior est, nisi obtineant bilem nimis acrem: tum proclives sunt ad tabes, dejectiones, laterum & viscerum dolores *vid. Lommii Observ. medic.* Si quis tamen subito & vehementer marcescat præter rationem evidentem, signum est imminentis morbi *Parsa de Prorog. vit. c. 6. P. 2.* interdum Hæcticæ interdum Feb. Malign. Macilentissimi & strigosi infantes sunt tenerrimæ constitutionis, acer-

acerrimo aduruntur dolore, ad febres inflammatorias sunt proclives ut notat *Harris l. c.*

In hujusmodi macie, quia gelatina ac pinguedo à salibus copiosis non solum dissolvitur, sed & in spiritus ardentibus & nimium exhalantes & exsiccentes mutatur, occurrendum est medicaminibus salia obvolventibus e. g. Gelatina CC, DCt. Scorzon: diaph. Jovial. emulsionibus ex sem. melon. pap. card. mar. & absorbentibus blandis subacidis, diæta lacte à, interpositis aliquando anodynis tutioribus, Sulphure Vitrioli anodyno - &c.

§. 4. Parvæ staturæ homines (non secus ac majores) sanam ac longævam vivere possunt vitam, si non cholericis nimis sint; seu spirituum agilitas ætatis decursu temperatior fiat. *Becanus* notanter in *Gigantomachia*, se multos nosse, ait, *monstrosa magnitudinis, sed inter omnes neminem, qui ad canos pervenerit - conf. orat. habitam Rostochii de Homullis sub Decano D. Med. Laurembergio.*

Fœminæ præterea, habitus delicati & pusilli caveant sibi à viris, quorum ossa, caput, humeri sunt mole conspicui, laboriosè enim pariunt ut plurimùm tales, *vid. Pechl. obs. med.*

§. 5. Diu & sensim grandescere signum est Longævitatatis, velociter contrarium ut vult *Verulam. l. c.* hi enim chylum sine dubio habent magis gelatinosum & nutrimentum vetus diutius retentum; *Platerus in obs.* notat puellam 5. annorum, corpus habentem vastum ac si fœmina fuisset multorum annorum, paucis verò annis post obiit.

§. 6. Partium Corporis (præsertim quarum dignitas magna est) prava conformatio, malum præbet augurium, idè non solum propter domesticam infirmitatem, sed & partium inter se consensum communem.

Magnum nimis caput, humiditates ad cerebrum redundantes signat ut observationes diversæ de Catarrho testantur.

tur.

tur. *vid. Manget Biblioth. Med, de Catarrh. & tales haud diu vivere asserit Verulam; l. c. moderatè magnum caput aliàs si progressu ætatis dispositio humida corrigatur, memori- am spondet bonam ac firma nervorum stamina. Cere- brum à pineatâ vel turbinatâ cranii figura quid paritur, ad Capitis affectus signat proclives. Manget. l. c. Calvaria au- tem depressa affectibus seporosis obnoxios notat, vel me- moriæ ceterorumve functionum cerebri impedimentum *vid. Bohn. de Offic. med. c. 7. quod etiam de nimis parvo ca- pite asserit Timæus à Guildenst. Casu XI. lib. 1. Nati breg- mate clauso, vel quibus citius solito esse obducitur, præ- bent signum brevis & infirmæ vitæ Ephem. Germ. An. 8. obs. 3. Transpiratio enim impeditur hinc epilepsia &c. timenda est. Sectiones anatomicæ docent illos ut plurimum, qui habuere futuras arctissimè coalitas capitis doloribus in- tensissimis fuisse obnoxios per vitam Eph G. A. X. D. 2. obs. 203. cui forsan dat ansam intempestiva nutricum enchiresis, cranium infantis comprimentium, dura enim mater nimi- um compressa in suturis ad dictum morbum dat ansam: idem dicendum de suturis cranii eminentibus seu protu- berantibus. Thom. Bartholin. Hist. anatom. 30. cent. 2. de aperto diutius permanente bregmate plurimorum morbo- rum augurio *vid. Harris de Morb. Infant.***

§. 7. Capilli nimis copiosè succrescentes læsam notant capitis transpirationem, radendi ergo sunt, ad pro- movendam eandem: quam egregiè hinc profit mente turbatorum caput radere *vid. Pechlin. observ. 38. L. 1. it. in Catarrho aliis incurabili. Riedlin. lin. Med. an 4. Decembr. Qui rufis crinibus instructi sunt ii acrem indolem humo- rum produnt & ad febres inflammationes sunt proclives ut observationes diversæ testantur. *vid. Plater. observ. Lib. 2. eos malis ichoribus abundare & morbis affici cura-*
tu*

tū difficilioribus & violentis testatur *Ballonius Lib. 2, Epidem. pag. 205. 270.*

§. 8. Qui Pectore sunt angusto & collo gracili longoq; , humeris alatis , dispositi sunt ad Phthisin (Morton in Phthisiol.) Ab arcta & inepta adstrictione thoracis, angustia ejusdem effici potest, in tenella ætate. Interdum tamen fortior natura dilatat angustum thoracem, costasque flectit, gibbumq; facit: inepte talis gibbus curatur; asthmata enim inde, phthises & hæmoptyles incurabiles evenisse observavit *Dimmerbrock, Lib. 2, anatom. c. 1.* Gibbosos tuberculis pulmonum duris ac crudis plerumq; esse subjectos testantur Practici *vid. Dolæus Encyclop. Chirurg. de Vertebr. luxat.* quibus gibbositas est infra septum, his morbi vesicæ ac renum accidunt, infæcundioresque habentur *Dolæo, l. c.*

§. 9. Quibus manus pedesve sunt insigniter defectuosi, maxime si amputati, hi ad Vomitum Cruentum, Phthisin, Dyntenteriam (*vid. Hildan. obs. 100. Cent. 2, & Chr. Benedicti Theatr. tabidor. Exerc. 4. p. 15. & Exerc. 10. p. 15.*) non rarò sunt proclives: Secretiones enim, per extrema fieri solitæ jam cessant & aliis impenduntur partibus, anteqvam verò illæ ad eas ferendas disponuntur; facile damnum inducitur, Qui longos habent pedes, ut plurimum alvo fluentiori esse, nec valida purgantia ferre asserit *Spigelius de hum. corp. fabric. Lib. I. cap. 11.*

§. 29. Ad Corporis conformationem & ejusdem color spectat. Faciei albissimus color, vel idem roseo rubore distinctus sæpè solet debilem signare & tenerrimam corporis constitutionem. *vid. Verulam. hist. vit. & mort.* quod scilicet magnis morbis, aeris vitæque injuriis ferendis impar est. Vividum colorem amittere Sign. est imminentis morbi. *Pansa P. 2, c. 2.*

B

Illos

Illos quorum facies indies solito magis irrubuit, continuante hujus coloris augmentatione, ex improvido in febres illaplos esse testatur *Tschirnhaus. medic. ment. & corpor.* Ruborem praeterea nimium in primâ juventute Longævitatē minus promittere quē pallorem censet *Verulamius, l. c.* ratio est, quod talium successu annorum, cum humidum magis absumitur, bilis sanguisque fit acrior, & immature nituis ad summum caloris gradum devenit & senium; juxta tritam medicorum regulam *Calida intemperiei cum ad summum devenerit, frigida succedit*: primis ergo vitæ annis optimè tales interdum valere possunt, postea morbofi. Humiditas contra, cujus indicium pallor, optimam circa viriles annos dare potest sanitatem

Pallor livoril mixtus (bleichgelb und gräfern) in facie & corpore reliquo sexageniarum vel majorum, soles apparere, per unum interdum vel alterum ante mortem annum, *vid. Sim. Pauli de Feb. mal.*

CAP. III.

Signa ex functionibus Spirituum.

§. 1. Nunc & de Signis ex fluidorum constitutione desumendis esset agendum. Sed cum Sanguinis, fluidi primarii, & vitalis, particulæ multivariæ (diversa enim salia, sulphura, aquas, terras, spiritus, animalia, imò si *Dykinsonii* experimentis (in ejus *Philos. vet. & vera*) fides habenda & metalla continet) earumque proportio (temperamentum constituens) nostris sensibus à priori minus pateant, ea silentio brevitatis causa involvamus. De Plethora Sanguinisque defectu, quæ damna inferat, res est vulgata. De Pulsu vero, annon potius morbos praesentes,

tes,

tes quā imminētes signet, dubitari posset, nisi *Bartholinus Histor. anat. 37. cent. 5.* referat, Sō verum quendam Mathematicum Patavii celebrem sui pulsus differentiam diu seduloque observasse posterioribus verò vitæ annis, in numero pulsus deficere, rarioremque fieri, vitæque indefinē impendere, prævidisse. De Sanguinis porro malsâ ejusque sero, salivâ &c. hydrostaticè seu per ponderationem in hunc usum examinata experimenta adhuc deficiant; Transeamus ergo ad functiones spirituum.

§. 2. Quando in hisce functionibus, mutatio quædam sensibilis, insolita & subita accidit, sine causa evidenti seu consueta morbus imminet, quod assertum sequentia probabunt.

§. 3. Appetitus (tactus maximi momenti à spirituum in fermento Ventriculi existentium motu dependens) imminuitur vel cessat, & signum est causæ morbi- ficæ præsentis, vel spirituum impeditorum: in gravidis tamen nausea & ciborum fastidium, primis mensibus contingens, parum nocet, nisi mulier inde debilis fiat. Appetitus autem cessans sine manifesta causa, morbi imminētis, sæpe maligni est signum.

Appetitus imminutus, id est, determinati cuiusdam cibi, quondam grati, nunc obortum fastidium (reliquo- rum appetitu adhuc integro) signat morbum imminen- tem, maximè panis fastidium periculosum morbum futu- rum. *vid. Nova Literar. Hamburg, 1705. Februar. & Eph. Germ. C. An. 2. Dec. 2. obs. 42.*

In Morbo populariter grassante sponte (sine causâ alia consueta) nauseare signum est suscepti per inspira- tionem miasmatis contagiosi. *vid. Ettmull. Colleg. Pract. de Feb. malign. & Peste.* Subitò tum provocandus est Vomi- tus, nisi tenerior constitutio faciat hæmoptyses metum,

aut purgandum; vel Alexipharmaca volatilia appropriata cum sudore danda maturè & ante somnum, subjunctis postmodum acidis blandis. Sic prima in herba Epidemios Pestes, dysenterias, Feb. ardentes &c. Tinctura Bezoardica jugulatos testatur *Wedelius, Amenit. Mat. Med.*

§. 4. Sensuum hebetudo seu stupor, si citra causam manifestam accidat signum est imminentis interdum gravioris nervorum affectus. Paralysis, Apoplexiæ &c. præsertim si in toto latere sit. *vid. Riedlin, lin. med. an. 4. Jun. & Plater. Lib. 3. observ. in regionibus ad Mare Balthicum fitis interdum latentem Scorbutum signat vid. Act. Hafn. Vol. I. obs. 112.*

§. 5. Visus in senibus sensim ex ingravescente ætate solet obscurari; si vero tale quid accidat subito, etiam in ætate quacunque, & præter solitas causas, signat imminentes nervorum periculosos morbos *Ephem. Germ. A. 5. & 6. Dec. 3. obs. 31. Cæcitas subito accidens signat idem interdum Eph. G. A. 7. Dec. 2. obs. 16. Geminata omnia videre (nisi ex ebrietate id fuerit) signum est levioris spasmi circa nervos oculorum, & imminentium graviorum nervorum cerebrique affectuum Bierling adversar. curios. Cent. I. obs. 93. Telæ quasi araneæ, maculæ, muscæ &c. oculis oberrantes (si tale quid non fuerit ex affectione hypochondriacâ) signum sunt imminentis suffusionis & cæcitatatis. Splendores & coruscationes seu scintillas videre (sine violentia externa) in robustis & sanis etiam signum fuit epilepsiæ horrendæ inlequentis *Thom. Barholin. Hist. animal. 45. cent. 3. & de luce animalium c. 6. aliquando passionis hystericæ Boyle tr. de coloribus.**

§. 6. Tinnitus aurium frequens, nisi sit per consensum ex aliis partibus sæpe in omnimodam surditatem terminatur, sæpè est prodromus apoplexiæ, *Ettm. Coll. Pr. de aur. aff. Catarrhi item.*

§. 7. Putridum odorem gravidæ sentiunt & signum est mortui in utero fætus, interdum tamen hoc fallit *vid. Manget. Bibl. Med. de Epileps. pag. 1206.* Sunt interdum qui conqveruntur ante lethales imminentes morbos, dum adhuc in neutro statu sunt, de odore inconlueto terreo quasi, quod in 2. exemplis vidi, in *B. D. Lassenio & avia materna meâ (C. Brandes) Idem observ. Borellus Cent. 4. obs. 10. in iis qui non multum ægrotare videbantur. item Borrichius Obs. 48. Act. Hafn. Vol. 4.*

§. 8. Salsus salivæ sapor Scorbuti signum est: inexplicabilem autem putridum & quasi cinereum saporem percipiunt (absque oris vicinarumque partium putredine,) ii, quibus latet apostema internum. *Act. Hafn. Vol. 4. p. 127.* (diu & inadvertenter sæpè ejusmodi latent apostemata e. g. per 20. annos *vid. Riedlin. lin. med. A. 95. Septemb.*) & signum est jam imminentis rupturæ & repentinæ forsan mortis. *Terillus de caus. mort. repentin.*

§. 9. In cerebro motus certos obeunt Spiritus & sensus internos constituunt. Horum usui h. e. Speculationibus nimium dediti fiunt hypochondriaci. Qui horum sensuum extraordinariâ prærogativâ, præsertim in pueritia gaudent, aut procedente ætate hebescunt, aut quia vim habent spiritus (qui interea sanguinem & ejus functiones relinquunt) insigniter concentrandi, ut plurimum præmaturè moriuntur, teste experienciâ. Ejusmodi spirituum concentratio & ab humoribus separatio fit quoque in moribundis, hinc in iis phantasiæ fiunt majores, & tales sæpe sibi ipsis & mortem & horam mortis contra medicorum opinionem prædixerunt. *vid. Pechlin. Observ. 2. L. 3.* In pueris ægrotantibus ingenii subito crescentis & sermonum inde officiorumque insolita novitas mortis certum indicium fuit, *Idem* Imò hinc in cachectico interdum

B ;

dum

dum corpore magna fuit ingenii vis, emendatâ vero va-
letudine, ingenii pristinus stupor *Id. Similia ex Aretæo re-
fert Chaldera de Heredia in Tribun. Med. Magico pag. 11.*

Tarda ingenia in pueris judicat tutiora *Morhofius in Pœ-
lyhist. Lib. 2. c. 1.* Successu enim annorum vel per morbos
excitatiores redduntur, superfluis humiditatibus absum-
ptis & spiritibus à viscido liberatis; Sæpè internis sensibus
robur accedit ex debilitate externorum sensuum, & signum
est ipsorum spirituum debilitates non adesse. Quando au-
tem spiritus humoribus nimis sunt immerfi, bona quidem
fit sæpe nutritio, quæ sanitati est conducibilis, sed tales
stupidi sunt: Longævos hinc eos pronunciat *Verulamius hist.
vit. & mort.*

Subitanea memoriæ læsio absque manifesta causâ si-
gnificat aliquando mortem repentinam aliquando Epilep-
siam *vid. Manget. Bibl. med. de memor. læs.*

§. 10. Huc spectant quoque animi pathemata. Qui na-
turâ læti sunt, saniores vivunt, verum ad Plethoram facile
eorum Sanguis assurgit. Melancholici (nisi in primâ ætate
jam tales sint notabiliterque tum jam ex succi vel frigidi)
ad senium quidem pervenire profunt, ingenium autem
facile perdunt, ad malum hypochondriacum admodum
proclives sunt, & chronicis morbis magis expositi sunt
quam acutis. Quidam ex illis visiones & spectra se vidisse
se cum terrore referunt, ad delirium tales sunt proclives
& Epilepsiam *vid. Salmuth. cent. 3. hist. 41.*

Ira ad contagia disponit, sanguinem dissolvit, vene-
na latantia deducit in actum; impetumque præcipuè in-
bilem facit: ita ut febres ardentes ab ira abortæ, non pro
simpliciter talibus, sed malignis habendæ sint. *Etmull.
colleg. Casual. Conf. 27.* Ira tamen morbos aliquando cura-
vit, abortos ab obstruente humore: minusque nocet iis
qui-

quibus irasci est quotidianum. Mutatio in hisce consuetis animi pathematibus, e. g. timori vel terrori præter solitum obnoxium esse, vel mores, gestus, actiones nunc sibi tactæ subito dissimiles, magnam significant factam in spiritibus mutationem, & morbum instare.

In nimio subitaneoque mærore & terrore Syncope Cardiaca est timenda, & Venælectione opus est, maximè si Plethora adsit subjungendo postea salia volatilia oleosa. Sperm. ceti. Aqua meliss. cum Vino &c. In ira enormiori danda sunt Vomitoria si alimenta fuerint in Ventriculo, post absorbentia & attemperantia Alexipharmaca & antispasmodica, ut unicornu fossile Specific. Cephal. *D. Michaël*: cum arcan. duplic. & anodynis ac acidis blandioribus.

§. II. Qui ab ineunte ætate laboribus ac motu exercentur inde immunes à morbis fiunt & longævi; Otium contra sanitatem infirmitat; imò militibus tum demum suscepta contagia (*belli ærumnis ac inordinatâ vita*) actuantur, cum quieti indulgent. *Pechlin obs. 35. Lib. 3.* Inter causas Podagræ refert *Sydenham Tr. de Podagr.* mutatam consuetudinem in motu cui juvenes adveti.

Motus impeditus ex lassitudine, seu gravitas corporis insolita & sine causa externâ; seu si quis lente sanorum munia obit, quæ antea alacriter expediebatur, (nisi sit ex Scorbuto) signum est morbi imminentis interdum maligni *vid. Timæus à Guldenkl. Lib. 4. Epist. 6.* Imò *Sim. Pauli diatr. de Feb. Mal.* ait signum futuræ febris malignæ esse, quando (*non solum paucos dies antequam febre corripiuntur, sed aliquot etiam ante morbum Mensibus*) conquerruntur de spontanea lassitudine, item de celo inclemente & frigido (*mediâ æstate*). Hinc notandam censet regulam Hoffmanni, venam secare jubentis in lassitudine spontaneâ;
si ei

si ei scilicet nil alioquin decedat, inquit, nisi tu venam secēs
breui gravissimè laborabit: præsertim in Plethoricis.

§. 12. Partim pororū in cerebro angustia, par-
tim impeditus humorum motus ibidem, est causa somni.
Inclinatio extraordinaria ad somnum est signum morbi
imminentis nervini scil. interdum, vel Catarrhi &c. Qui
tamen ex magnis corporis laboribus est profundus, non
adeò est formidandus in robustis; quando vero ex viri-
um debilitate oboritur subito obveniente e. g. hæmor-
rhagiis immoderatis, venæsectionibus largioribus, par-
tus laboribus, somnus talis non est concedendus, lipo-
thymiam enim imminentem signat.

§. 13. Somnus interruptus somniis inconsuetis,
feu irrequietus non probatur, e. g. in incubo, noctambu-
lis, quos non rarò in epilepsiam incidisse notat *Manget.*
Bibl. Med. de Somnamb. Si tristitia & terror in ejusmodi
somnia excitatur, major denotatur à sano statu recessus:
tum enim Phantasia nimis irrequieta, aut ab externis sen-
sibus non impedita, inexistencia peregrina lentit: *Ve-*
rnlam. Lib. I. de augment. Scient. c. 3. p. 253. *Naturalis in-*
quit divinatio nativa hoc utitur fundamento, quod anima in
se reducta & collecta, habeat ex vi proprie essentia sue præno-
tionem rerum futurarum; illa verò optimè in somniis Ecsta-
sibus, confiniis mortis; rarius inter vigilandam aut cum cor-
pus sanum sit validum. &c.

§. 14. Infantes naturaliter somnolenti sunt, vigi-
liæ vero insolitæ vel somnus pavoribus interruptus in his,
magnum à statu naturali recessum arguunt & interdum
epilepsiam imminentem *Ettmull. de Morb. Infant.* Adultis
verò Cholericis præsertim anni tempore calidissimo diu
sine noxa notabili vigiliæ accidunt; aliàs noctes inquietæ;
citra manifestam causam (curas, tusses) signant materi-
am

am morbificam latere circa præcordia: in Melancholicis tandem delirii paroxysmum adventurum significant. Facile evigilare, aridius cerebrum notat & teneram nervorum constitutionem, injuriis quibuscunque perferendis imparem: *Ettmull. Colleg. Pr. de Memor. les.*

§. 15. Functio genitalis magnum ad vires in vigore conservandas habet momentum. Senibus verò ac debilioris constitutionis hominibus caute venus est exercenda: item qui Spasmi præludia in coitus actu sentiunt, abstineant ob majora imminencia mala: observavit enim *Dan. Ludovici in Eph. G. A. 9. & 10. D. I.* diversos qui in veneris usu in occipite tensionem perceperunt partim Epilepsiâ partim Apoplexiâ & Paralyfi postmodum tactos esse: & *Ephem. G. A. I. obs. 4.* fœmina salax quoties venerem exercuit vomere consuevit, subsequente corporis debilitate, & tandem ascitico-tympanitica facta præmatura morte fatis concessit: Quidam nectus mihi fuit Regiomonti Medicus, crebrioribus sternutationibus in veneris usu ordinariè afflictus & 40narius circiter subito demortuus est. Venerem irritare, verum non exercere insigniter ad sanitatem conferre testatur *Verulamius hist. vit. & mort.* id quod tamen nutricibus non est concedendum, ejusmodi enim lac seminali aurâ affectum infantes revomunt, *vid. Dissert. Langii de Requisit. bon. nutric.*

CAP. IV.

Signa ex Excernendis.

§. 1. Sudor & Transpiratio omnibus corporis partibus, quibus pori sunt, necessarius est præ omnibus aliis excretionibus: considerabilis quoque quantitas sudoris id arguit, tanta enim est juxta *Leuwenhoekii* calculum. *E.*

C

pist.

*pist. 30. ut per moderatum sudorem ex integro Corpore horæ
spatio, 20 circiter uncia liquoris protrudantur.*

Quantum usum habeat ad sanitatis conservationem
Sudor & Transpiratio non impedita experimentis egre-
giis probat *Tschirnhausen in Medic. Corp.* Imo sudor si vi-
tam in Peste servare non potest (quod tamen sæpe potest)
placidam tamen mortem dat, moriendiq; cupidinem,
*vid. Meditat. de Peste & Feb. Mal. Weitzii in Ephem. Germ. A. I.
D. 2. append.* tantum nocumentum è contra affert Sudor &
Transpiratio suppressa, ut ad omnes morbos reddat pro-
clives.

Qui proni sunt ad Scorbutum, vel hunc licet quietum
intra viscera gerunt (*solet enim hæc bellua quiescere & mox,
subitâ fermentatione erumpere, inquit, Tim. à Guldensl. E-
pist. 9. l. 3.*) tales facile sudant, horum vero sudor fisti
plane non vel admodum cautè debet, licet macilenti sint.
Pechlin obs. 68. L. I. Nimius tamen sudor appetitum & vi-
res prostermit. *vid. Ettm. Coll. Pr. de anorex.* sero copiosius
exhalante nec reparato salia non diluuntur seu separan-
tur, hinc Dysenteriâ aliqve morbi autumnali tempore in-
gruunt. Transpiratio tamen sudori meritò præfertur, le-
nior enim est & minori violentia agit, hanc promovere vel
auctiorem reddere blanda frictione ope laneorum integu-
mentorum Sapientes Chineses solent *vid. Act. Angl. 1670.
& Verulam. l. c.* id pariter ad vitam sanam longamq; com-
mendat.

§. 2. Excrementa alvi retenta vel imminuta præter
consuetudinem, præsertim iis, quibus solet esse copia in-
gens, morbum minantur; (nisi fuerit à copiosis sudoribus
& transpiratione auctiori) Catarrhi inde, aurium tinni-
tus, capitis perturbationes &c. interdum bilis inertiam
notat, acidumque austerum dominans.

Qui

Qui temperamento sunt seroso bilioso ii frequenter de-
jiciunt *observ. Pechlin. 52. L. I.* in iis si retineantur protinus
laxativo occurrendum ne febris vel cachexia fiat. Ex-
crementum alvi illud primum infantum, in utero colle-
ctum, Meconium dictum, si ante partum excretum ob-
servatur, ut plurimum signum est debilis vel mortui infan-
tis: retentum verò idem vel non sufficienter evacuatum,
post partum, epilepsiæ & gravissimorum morborum est
causa. Judæis adhuc solenne est in hunc finem dare re-
center natis butyrum cum melle.

§; 3. Urinæ quantitas justo minor, nisi sudor vel
transpiratio sit auctior Catarrhum vel Hydropem immin-
arguit. *Timæus à Suldensl. Lib. 3. Cas. 28.* Renes invenit
parvos magnitudine nucis juglandis, & patiens dum vi-
veret urinam reddere solitus, erat paucissima etsi largius
biberet: Hydrope Ascite perierat. Urinæ solitus color
deficiens, chylosin notat læsam, bilis inertiam, ni sit à potu
aquofo. Urinam vero admodum rubicundam (signum
fermentationis auctioris) in imminente aliquando Tertia-
nâ vidi aliquot diebus anteparoxysmum ingruentem.

Quibus sedimentum in urinâ consuetum, nullum,
(nisi sit ex labore & sudore) morbum significat imminen-
tem *Wedel. Theorem. Med. Part. III. Sect. II. p. 88.* Urinæ fæ-
tor febres signat futuras *Pansat. c. P. 2. c. 6.* Sed fallax esse
sæpè solet ex sola urinâ judicium.

Urina hydrostaticè examinata forsah experimenta
huc spectantia suppeditare potest: Autor scripti *de Signis
ex Urinâ edit. 1703. Gothæ.* Signum inclinantis sanitatis esse
ait, quando Urina pondere 1. vel 2. granis augetur, quando
verò ultra 3. vel 4. grana ponderat, Morbum jam adesse. Si
ad 5. grana, mortem, de quo experientia erit ulterius con-
sulenda.

C 2

Si 4.

§: 4. Lienosos esse sputatores testantur Practici; imò & Scorbutici sunt tales. Destillationes per os copiose expurgari solitæ si in lenibus (aphor. Hipp. 40.) imò & in aliis, sine ratione imminuuntur, vel cessant, præbent signum imminentis morbi, in Senibus Asthmatis, *vid. Terill. de caus. mort. repent.* Narium quoque mucus cessans est signum labentis sanitatis, & futuros dolores capitis, vertigines, & c. notat *Eph. G. A. 4. Dec. 2. Observ. 153.* Hujusmodi excretiones cessantes sunt iterum exstimulandæ præmissis universalibus errhinis, ut betæ succo & c. vel blandè salivam prolicientibus & methodum Sydenhamii, Mercur. dulci cum Diafcondio. Vel Vesicatoriis, Sinapismis, fonticulis defectus suppleatur. Internè Sudorifera danda, ut antim. Diaph. cum diureticis Succinatis, glandulas reserantibus, vincetoxico, milleped. pp. Sulphur. Vitriol. & c. Salsam salivam Scorbutici spuunt de cætero benè sese habentes, tussis, Pthisin, Catarrhum suffocativum metuant; matutino tempore habere os, mucos viscido plenum signare vitiosam digestionem ciborum ait *Ettmull. de Chylosi lesâ, Plater.* tamen in *Observ. meris collutionibus roborantibus id curat: mucus talis quoque ad Ventericulum dilapsus utiq; coctionem lædit.*

§. 5. Menstruus Sanguis quibus nunquam fluxit, steriles illæ ut plurimum habentur: quibus ritè fluit iis sæpè morborum causæ simul tolluntur: impeditus verò nisi sit ex nimio labore, morbos facit. Inordinatus & erraticus fluxus prodromus solet esse omnimodæ suppressionis & Cachexiæ: 14. anno solent ut plurimum prodire. *Pechlin. in Eph. G. A. 9. & 10. Obs. 28.* Idem tamen suspectos habet qui majorem vel minorem ætatis annum invadunt, & absque incommodo tales vixisse non credit. Menses in teneriori ætate fluentes, brevis solent esse
ut plu.

ut plurimum vitæ signum, singularisque uteri debilitatis
vid. Bartholin. Hist. anatom. 91. Cent. 3. ejusmodi naturæ
motus sistendus tamen non est, sed attemperantia in u-
sum vocanda. Mulieribus quibus olim fuit copiosus
mensium fluxus, ætate ingravescente quando cessant, tum
demum periculosissimis morbis exponuntur *Timæus à*
Guldensl. Lib. 4. cas. 12. Venæsectione opus habent, con-
sideratis circumstantiis in pede: tempore soliti fluxus in-
stituenda.

§. 6. Aliquando natura ulcera excitat & fistulas,
talìa cautè curanda sunt, vel prudenter ferenda: à Peste &
morbis contagiosis vim habent præservandi egregiam
vid. Willii Medic. Castrens. c. 5. quod à magno viro se didi-
cisse asserit: fistulæ ejusmodi vel ulcera antiqva si spontè
vel arte incautâ consolidantur, nec recrudescunt, lethalis
proximè imminentis morbi sæpissimè solet esse auguri-
um; ut plurimum in pectus ejusmodi matéria regurgitat.
vid. Ballon. Lib. 2. Epidem.

Ulcuscula capitis in pueris habitus carnosî, cerebrum-
que magnum humidumque habentibus optanda sunt ad
præcavenda mala graviora.

Ulcerata consolidata intempestivè sunt revocanda, fo-
mentis, cucurbitulis, frictionibus, vel si hæc non suffici-
unt, per fonticulos & Veficatoria propè locum affectum
positâ suppleantur, interne dando Decocta Lign. additâ he-
derâ terrestri - chærefol. Veronic. &c.

CAP. V.

Signa ex Alimentis.

§. 1. Infantes enutriti à nutricibus sanis sed sene-
scentibus, maturius exolefcunt & corpora illorum toto
vitæ cursu imbecillia admodum remanent, *vid. Joh. Co*

C 3

Lano

Langii Dissert. de requisit. bonæ nutrit. Iidem progenerati à matribus quibus familiaris fuit nimius acidorum usus tempore gestationes, post partum si non prius, vel ablati, vel dentientes fiunt Epileptici ut plurimum *vid. Eph. G. A. 2, obs. 49.*

§. 2. Alimenta in quantitate nimia & frequenter assumpta qualitatem quam obtinent, denique sanguini communicant.

§. 3. Mutatio in alimentis cautè est suscipienda, ne graviorum morborum causa fiat: cautè & sensim à gulositate ad sobrietatem transeundum & contra: Senes præsertim temperantes ex unico excessu in vitæ periculum incurrunt & Apoplexiæ. *vid. Tschirnhaus. med. ment. & C.* item consuetudinis mutatio quoad qualitatem ciborum prudenter fiat. Qui enim e. g. generosis (spirituosis) liquoribus assueti sunt si aquam frequenter potent, hydropem incurrunt *vid. Sydenham. Tr. de Hydrop.*

§. 4. Qui aërem incautè mutant, periculo se exponunt. Aër enim inconsuetus, in se licet sit inculpatus, in periculum tamen peregrinantes e. g. in Hungariam-Guineam &c. præsertim si fuerint constitutionis tenerioris adducit, sanguine licet sano gaudentes *vid. Sydenham. Oper. c. 4.* Ad sanitatem ergo confert patrius purus isque consuetus aër. Aër præterea mutatur anni temporibus, ventisque: Vernali tempore morbi latentes plurimi in actum deducuntur, sed à spiritibus ut plurimum tamen facilius superantur, ardentes in classem intermittentium facilius transeunt: morbis Chronicis datur levamen & in curatione instituenda adjumentum: autumno contra febres sunt cum malignitate ut plurimum insigniori. Salubritas tamen aëris res est occulta, experimentis potius elicitur quam conjecturâ *vid. Rammazin. in Append. Ephem. G. An. 4, D. 3. de Constitut. anni 1692. 93. 94.* **GAP.**

CAP. VI.

Signa ex Sanitate Morbisq; præteritis.

§. 1. In Praxi medica summè necessaria est inqvisitio in Antecedentem Constitutionem ægri, vel sani, quo eò firmitus de præsentis vel futuris fieri iudicium possit. Qvi enim hætenus egregiè vel diu sani fuere, si morbo quodam semel corripiuntur, tum ne prosternantur unico quasi ictu periculum est, si nimirum fuerint temperamenti non adeo inculpati e.g. obesi & laborum diætæq; negligentiores; Robur enim hisce validius parvam morbi causam elidit & à solis magnis vincitur inquit *Galenus Lib. 2. de Præfag. ex Pulsu cap. 4.* Morbifica scilicet materia hætenus quæta sed accumulata tandem deducitur simul ac semel in actum. Deprehenditur id sæpè quoque in Vulneratis, tum enim se primò exlerit quod in illis diu latitare potuit: item in Scorbuticis, qvi sani esse videntur, accedente verò alio quodam morbo hic simul cum impetu commovetur & se manifestè prodit, ut videmus in Febb. Scorbuticis. E contra imbecilles & valetudinarii sæpè servantur & præter opinionem senescunt: Valetudinarii enim exactius diætam observant & id boni habent, ut laboribus, extensionibus, vellicationibus, doloribus, fermentationibus. crebrioribus advescant, hinc gravi causa quædam adveniente non tam insigniter turbantur. Quid enim consuetudo non facit? Aliquando ipsa Venena perferre denique docet.

§. 2. Ex Morbis antecedentibus præterea spirituum vires cognosci possunt, & probabiliter, (consideratis probè circumstantiis) concludi, an subito manus victas dare, vel diu resistere possit, vel lentè succumbere opus habeat, accedente quodam morbo e. g. laboraverit quidem antea *Quartana*, *Scabie humida* & *dtuturna*, *fixo Scorbuto*, *glandularum*
tum

Humoribus, Melancholia, sed non 'ehormi, & ita ut ægritudinibus ejusmodi lenta humorum secretio procurata fuerit; talem valetudinarium licet, senium tamen posse adipisci lentamque mortem, marasnum senilem &c. probabile est. Contrà acutis morbis sæpè objectus qui fuit, pronusque ad orgasmum humorum - hemorrhagias &c. etiam ætate virili, ille, lento quamvis morbo videatur correptus e.g. Pthisi, Scorbuto, &c. citius tamen succumbit, nec tot annis morbum, more solito aliis circumfert: vel ad metastases periculosas est proclivis.

§. 3. Necessarios velut quosdam morbos habemus e.g. Variolas & Morbillos; nec Sani, qui optimo videntur esse temperamento, nec minus laudabili temperamento præditi valetudinariiq; ab hisce securi sunt, ut testantur observationes.

§. 4. Affectus quidam, cum quibus diu valetudinarii conflictati fuere, si subito & sine causa cessant, tum alium instare morbum, vel recidivam, vitæq; interdum periculum signum est. Hinc affectibus oculorum chronicis obnoxii, si iisdem subito liberentur, rarò solent supervivere ultra annum *vid. Dooleus Encyclop. Chirurg. Lib. I. c. X. p. 75.* Ita surditas in sene sexagenario subito cessabat, stupor autem sinistri lateris & memoriæ ablatio superveniebat *Eph. G. A. 7. & 8. D. 3. obs. 203* Sic quoq; rem minimè in vado esse experimur, quando habitualis Podagra cessat, idq; ex roborantibus adstringentibus, intempestivè adhibitis vel diætæ errore. Materia enim Morbifica coacervata, demum nunc convulsiones, nunc Colicas, Asthmata, Apoplexiam & Mortem sæpè infert.

In gravidis tamen morbi interdum silent, usq; post partum absolutum, ob sanguinis texturam, ejusq; motum à spiritu seminali maris mutatum. Ut proinde cessante morbi cujusdam tumultu, non sit judicandus Morbi finis, redit enim sæpè idem & saltem aliam sumit larvam: sic hysterica quæ diu fuerat, nunc dolorem lancinantem, & pungentem acerbè in pube sentiebat, aliis frustra adhibitis, solis antihystericis fuit curata

Essmull. Colicg. Consult. Cas. 45. Scorbuti larvas vid. ap.

Engalen de Scorbuto.

